Universitätsbibliothek Paderborn

# Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiis Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

Consultatio XXVI. Phænix: ubi agitur de morte sanctissimæ Virginis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

Visual Library

ceſſu: Quæro te, deſidero te, voco te, ploro, clamo, morior præ triſtitiâ & faſtidio, niſi invenero te, niſi patiar, niſi moriar pro te, & amore tui. Hiſce affectibus plurimùm devotis, quibúſque ſummè oblectabantur omnes, ſuum obtinuit finem Conſultatio. Sed ſequens magìs adhuc fuit utilis, magiſque conſolatoria.

# CONSULTATIO XXVI.

## *Phœnix, ubi agitur de Morte Sanctiſſimæ Virginis.*

CHryſantus, qui omnia in bonam vertebat partem, facilis ad credendum ea, quæ bona ſunt quòd Sanctus Paulus recenſet inter effectus & notas Charitatis: *Charitas omnia credit.* (1. Cor. 13.) Vir hìc nimìs quàm ſimplex, ſed de cætero admodùm devotus, ditiſſimum ſeſe exiſtimabat, eòquòd judicio ſuo poſſideret pretioſiſſimas quasdam Reliquias, quas cuſtodiebat velut hæreditatem à majoribus ſuis ſemper ſolicitè conſervatam in familiâ ſuâ, quáſque per traditionem eſſe credebant fragmentum aliquòd è Coſtis Sanctiſſimæ Virginis: Luitprandus cognatus ipſius, doctior illo, eòquòd pauliſper frequentaverit ſcholas, aliquantulùm etiam verſatus in lectione Sanctorum Patrum, illudebat ipſius credelitati, & errore exſolvere nitebatur ipſum.

Infelix homo, dicebat ipſi Luitprandus, an ignoras, nos nihil habere ex Corpore Sanctiſſimæ Virginis in terrâ, ídque totum integrum cum Animâ ſua eſſe in cœlo? An neſcis, annuatim celebrare Eccleſiam Feſtum glorioſæ ipſius Aſſumptionis, illámque credere, quòd triumphans in Corpore & Animâ ingreſſa ſit gloriam? Id equidem novi, reſpondit Chryſantus; ſed nónne habemus in terris reliquias plurimorum Sanctorum, qui etiam ſunt in cœlis? Ita quidem aliorum Sanctorum, qui mortui ſunt, reponebat illi Luitprandus, ſed Sanctiſſima Virgo non eſt mortua.

(Non habemus in terris reliquias ex Corpore Sanctiſſimæ Virginis.)

Quómodo, non eſt mortua, replicat ſubaſperè Chryſantus, admiratus hanc propoſitionem: Ipſa igitur

tur diutiùs vixerit, quàm Mathuſalem; Jam enim ultra millenos ſexcentos annos eſſet in mundo. O miſer & ſimplex homo, dicebat ipſi alter, quàm malè id accipis: Non dico, illam eſſe adhuc in mundo, ſed dico, illam transmigrâſſe è terrâ in cœlum, abs eo, quòd moreretur; An enim crederes, quòd mors, quæ pœna eſt peccati Adæ, cujus nos omnes circumferimus maculam in utero Matrum noſtrarum, habuerit poteſtatem in Sanctiſſimam Virginem, quæ ſola ab eo fuit præſervata; ſiquidem nata eſt ipſa abſque peccato originali, & nunquam vel unicum peccatum actuale commiſit in totâ vitâ ſuâ. Quæ forma juſtitiæ, condemnare illam ad mortem, ſicut omnes cæteros filios Adæ, qui culpæ obnoxij ſunt, ipſa verò tota eſt innocens?

Rationes, quæ eximere potuiſſent Sanctiſſimam Virginem à morte.

Et deinde, quæ veriſimilitudo, quòd illa, quæ dedit nobis JESUM Chriſtum, qui fons eſt vitæ, & omnium culpatum noſtrarum remedium, non habuerit privilegium, vi cujus non minùs eximeretur à morte, quàm à peccato? Sanctus Epiphanius, qui plurimùm hâc ſuper quæſtione diſcurrit, non definivit ipſam, nec pro certo tenet omninò, quòd non ſit mortua; ſed aſſeverare etiam non audet, ipſam eſſe mortuam; tam indecens id ipſi videtur, & indignum gloriâ Matris Dei: *Non quòd immortalis manſerit, neque affirmo, quòd mortua ſit.*

Presbyter Timotheus in oratione quâdam, quàm compoſuit de ſacro occurſu, hac de re nullus dubitat; ſed certiſſimè credit, ipſam non eſſe mortuam. An meliùs non ſit ipſius amplecti opinionem, ex reverentiâ erga magnitudinem Matris Dei, & ad conſolationem omnium animarum ipſi devotarum? Si ergò nunquam eſt mortua, quómodo reliquias habes è ſacro ipſius corpore? Quis abſtraxiſſet unam è coſtis ipſius, ut hanc tibi daret?

Timotheus erat, de ſacro occurſu.

Confundebat hoc paulìſper animum Chryſanti, qui aliàs jam facilis erat ad credendum; nihilóminus, quia reſolvere ſe non poterat ad deponendum fidem, quâ credebat, Reliquias ſuas eſſe unum ex oſſibus Sanctiſſimæ Virginis, conſtans permanebat, ſéque defendebat, uti poterat. Alter nihilóminus obruebat ipſum pluribus rationibus, quibus quid reſponderet, non inveniebat: Cùm ergò ipſorum diſceptatio plurimùm incaleſceret, ac viderent, ſe circa controverſiam ſuam non fore pacificandos, convenerunt ſaltem, ut hujus deciſionem noſtro relinquerent judicio. Doctus & charitativus meus Ductor, quem ſequebar ubique, cum audiſſet ambos, dicit utrique; Nec tibi, nec tibi ſuffragatur ratio.

Tibi, qui defendis, Sanctiſſimam Virginem non eſſe mortuam, non ſuffragatur ratio; veriſſimum enim eſt, ipſam mortuam eſſe:

his

hic eſt communis ſenſus totius Eccleſiæ; hæc doctrina eſt omnium Sanctorum Patrum, & ipſamet Sacra Scriptura, quamvis id non declaret in particulari, univerſalem tamen hanc tenet regulam à quâ non magis exempta eſt ipſa, quàm omnes alij: *Statutum eſt hominibus, ſemel mori*; Et hoc non ſolùm, quia vitam ducunt peccaminoſam; ſi enim non alia, quàm hæc eſſet ratio, Sanctiſſima Virgo, quæ nunquam peccavit, immunis foret ab illa; ſed quia Corpus poſſident humanum, cujus ipſamet conditio & ſtatus eſt mortalis: Cùm igitur Sanctiſſima Virgo Corpus habeat humanum & mortale, ſicut omnes alij, mori omninò debuit.

[Heb. 9. v. 27.]

[Et verè mortua, ſed reſuſcitata eſt, cœlúmque ipſam poſſidet cum Corpore & animâ.]

Et ſanè, cùm Unigenitus ipſius Filius ſit mortuus, quamvis immunis fuerit à peccato, & inſuper Deus, immortalis, æquiſſimum erat, & maximè congruum, ut hanc cum ipſo teneret conformitatem, & moreretur etiam ſicut ipſe ſic tibi ademptus eſt error, ne credas, Sanctiſſimam Virginem non eſſe mortuam.

Nec tibi etiam, qui perſuaſum habes, poſſidere te pretioſas Reliquias ex oſſibus ipſius, ſuffragatur ratio; quamvis enim verè ſit mortua aliorum ſanctorum more, quorum Sacras Reliquias tenemus in terris, non tamen eſt verum, egiſſe cum ipsâ mortem, ſicut cum cæteris Sanctis; diſrupit hæc ſolùm ad parvum tempus unionem naturalem ipſius animæ cum ipſius Corpore; ſed quamprimùm unita ſimul ſunt iterum, & cœlum habere utrumque voluit in totâ ſuâ integritate; ita, ut nihil habemus hìc in mundo, niſi ipſius memoriam, quæ cunctis bonis animabus impendit ſolatium; bonum odorem virtutum ipſius, qui perfundit & reficit univerſam Eccleſiam, & potentiſſimam ipſius interceſſionem, quæ noſtras confortat infirmitates, quæ nos à noſtris defendit inimicis, quæque noſtram moderatur & dirigit ſalutem. Deſere igitur fallacem opinionem, quam hucúſque aluiſti, nec ampliùs crede, habere te Reliquias, & quidem unam è coſtis Sanctiſſimæ Virginis.

Cùm ambo viderent, ſe ſuâ cadere causâ, & male informatos fuiſſe circa mortem & reſurrectionem Sanctiſſimæ Virginis, inſtanter efflagitârunt judicem, qui ipſos condemnaverat, ut ſuam ſibi explanaret ſententiam, ſéque fundamentaliter inſtrueret circa magnam hanc veritatem. Charitas ipſius ſemper parata ad bene faciendum, & ſolatium impendendum omnibus, lubentiſſimè votis annuit; & hoc argumentum fuit devotæ & curioſæ Conſultationis: audite ipſius enarrationem, & ipſimet judicium de illâ ferte: Incipit igitur dicere illis.

# ARGUMENTUM.

## *Reſurrectio Sanctiſſimæ Virginis repræſentata à prodigio phœnicis.*

### ARTICULUS I.

Tertullianus de Reſurrect. 13.

PORtentoſum omninò & prorsùs ſingulare & omnibus miraculis naturæ, eſt illud, quod Auctores referunt de Phœnice. Tertulianus exponit illud velut perfectiſſimum exemplum ac manifeſtiſſimam probationem Reſurrectionis finalis, ubi homines, poſtquam eſſe deſierunt, iterum erunt. Hoc volueris, inquit hoc prodigium naturæ naſcitur & vivit in Arabiâ: *De ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtroſum*: famoſiſſimum, ait, ob ſingularitatem, eòquòd nonniſi ſemper ſit unus in mundo; prodigioſiſſimum in ſuâ poſteritate, eòquòd videatur producere, vel reproducere ſemetipſum; Ipſe eſt proprius ſuus Pater, & proprius ſuus filius, ſuus prædeceſſor & ſuus ſucceſſor, ſemper ſenior, ſempérque junior ſeipſo; non agnoſcit nec Patrem, nec Matrem, eòquòd careat diverſitate ſexûs; ſed ſolus ipſe utérque eſt ſibi, prodigio tam ſtupendo, ut, niſi Sancti Patres expreſſè & ſæpiùs loquerentur de phœnice, vix credere quis poſſet, niſi quòd ea, quæ ſparguntur de illo, commenta ſint & figmenta.

De phœnice vide lactantium Carmine de phœnica. Epiphan. in ancorato. Ambros. lib. 5. in Hexam. c. 23. Zeno ſerm. de Reſurrect.

Prodigis longæ vitæ, mortis & reſuſcitationis in Phœnice.

Affirmant, hunc alitem, poſtquam quingentis vixerit annis in vigore ſuo, ſentire ſui ipſius defectum, & morti jam proximum præparare ſibi ipſi pyram è lignis aromaticis, quæ transportet ex Arabiâ in Ægyptum in civitate Heliopoli, & velut arbitrum vitæ ac mortis ſuæ eligere ſibimet diem ad placitum, & horâ, quâ ardentiſſimus æſtuat ſol, ſuam alacriter conſcendere pyram, velut antiquorum ſuorum victorem annorum, certúmque, ſe novas mox incepturum, ſuis concutere alis ardentiſſimos radios ſolis ſibi imminentes; cúmque per hunc motum admodum vehementem excitâſſet flatum, ad ſuccendendum ignem è cœlo in hiſce lignis, ab illo comburi, ipſomet laborante, ut in cineres redigat ſeipſum.

Sed videtur exſpirando ſerere in ſuis cineribus novum quendam phœnicem, dimanare hìc faciens cum ſenectute ſuâ novæ germen vitæ, quam illicò reſumet: Ipſius tumba, quâ recipitur moriens, vertitur ipſi in cunas, quibus recipitur vivens: poſt unicum ſepulturæ in proprijs ſuis cineribus diem, formatur parvus vermiculus, qui

qui novam ipſius incipit vitam; creſcit paucas intra horas, augetur, acquirit vires, & paucos poſt dies reſumit alas, evadit in volucrem, & quamprimùm avolat rediturus in Arabiam, quæ propria ipſius Regio eſt ipſiúsque elementum. Et hic denuò Phœnix eſt, non eſt illius umbra, nec imago; non eſt phœnicis Ectypon, ſed eſt ipſemet in veritate, eſt eſſe ipſius proprium, non eſt aliquis alter, qui ſit ipſius ſucceſſor; eſt ipſemet, qui ſuccedit ſibi ipſi: *Iterum ipſe*, inquit Tertullianus, pro quingentis alijs annis. O miraculum naturæ! ô arcanum incomprehenſibile, quod omnes Creaturas maximâ defigit admiratione!

An formare ex hoc vis veram idæam mortis & reſurrectionis Sanctiſſimæ Virginis? Cogita ipſam phœnicem eſſe in gratiâ, & modum tam ſtupendum, quem Natura obſervat cum ſuo phœnice, non eſſe, niſi rudem delineationem modi magìs ſtupendi, quem gratia obſervavit, ad renovandum ſuum phœnicem: Applica huic verba, quæ Tertullianus dicebat de altero: De ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum: Hic Phœnix gratiæ eſt æquè felix, quàm Phœnix naturæ in ſuà ſingularitate: ſiquidem non fuit unquam niſi hæc unica Virgo Mater in mundo; magìs prodigioſa, quàm Phœnix in poſteritate ſuâ: Nam Filius ipſius unicus eſt Pater ipſius; Filius, quem parit de novo, eſt Deus æternus, qui nunquam habuit initium; ipſa producit poſteritatem ſuam, ſicut Phœnix producit ſuam abſque differentiâ ſexûs, & abſque concurſu ullius alterius, ipſa ſola eſt Pater & Mater Filii ſui: *De ſingularitate famoſa, de poſteritate monſtruoſa.*

Sanctiſſima Virgo eſt Phœnix gratiæ.

Tandem moritur ſicut Phœnix; id eſt, parat ſibi tranſitum ſicut ipſe à vitâ hâc ad aliam meliorem, per ignem & cineres cujusdam pyræ: Nuncupo pyram ipſius cumulum hunc meritorum, quem ipſa ſibi præparavit per totum decurſum vitæ ſuæ, quam replevit tot bonis odoribus, quot exercuit virtutes, quot locupletavit ſe gratijs, quot comparavit & collegit ſibi merita: Ecce pyram ipſius; & poſtquam hanc ſuſtulit ad ultimum ſuum complementum ſupra verticem altiſſimorum montium: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*, exardeſcere cæpit flammis Pſal. 86. cœli ex repercuſſione alarum; alæ ipſius ſunt continuæ ejus in cœlum aſpirationes; alæ ipſius ſunt ardentia poſſidendi Deum deſideria; alæ ipſius ſunt ipſius ſuſpiria, ipſius gemitus, ſancta ipſius vota videndi ſe iterum unitam cum Filio ſuo Unigenito: Et cùm tam longo jam tempore languiſſet amore & deſiderio præſentiæ dilecti ſui: *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo*; tandem Cant. 5. v. 8. ſuccenditur pyra, & Phœnix vo-

luntariè tam ſpecioſo conſumitur igne.

Moritur conſumpta flammis di- divini amoris, & tertia die renaſcitur.

Comburere ſacrate Phœnix, conſumere in ardoribus divini amoris, à quibus te ampliùs defendere non potes, tumulare in cineribus propriæ tuæ annihilationis, renaſcêris illicò ex teipſo; tumulus tuus vertetur in cunas novæ Nativitatis tuæ: ſiquidem vix collocaberis illic, ut dicere poſſis,

Pſal. 21.

quod Filius tuus Unigenitus: *Ego ſum vermis, & non homo:* Non amplius ſum homo, eòquòd ampliùs compoſita non ſim ex animâ & Corpore humano; hæc ſeparata ſunt, ſolummodò ſum parvus vermiculus, tumulatus in cinere meæ ſepulturæ: Ita, ſed parvus hic vermiculus habebit quantocyus vitam, & aſſumet ales ad volandum: & poſt tres dies, ut ſequaris in omnibus exemplum adorandi tui Filij, egredieris è tumulo tuo, vivens novâ vitâ, quæ tota refulgeat gloriâ, & tota plena ſit immortalitate; & hoc erit iterum tu ipſa; non tuum Archetypon ſed in veritate tu ipſa; non alius, nec alia, ſed tu ipſa in Perſonâ: Ita hoc eſt altera tu ipſa quæ poſtquam eſſe ceſsaſti, nata es denuò ex tumulo tuo, ut ſis iterum illa, quæ eras. O admirabilis Phœnix gratiæ! ô miraculum famoſum in ſingularitate ſuâ, portentoſum in ſuâ poſteritate, incomparabile in ſuâ renovatione, in ſuâ morte, in ſuâ reſurrectione, quàm incomprehenſibile extas prodigium!

Duo noſtri diſceptatores, qui hæc omnia ſat magnâ auſcultârunt cum voluptate, nihilóminus ſuam non obtinuerunt ſatisfactionem, eòquòd per hoc inſtructi non fuerint in eo, quod nôſſe deſiderabant: Luitprandus, qui majori ducebatur curioſitate, cohibere ſe non potuit, quin diceret; duci ac viatori noſtro hoc pulchrum quidem eſt, ſed non eſt id, quod exſpectabam; Credebam, enarraturum te nobis hiſtoriam mortis Sanctiſſimæ Virginis, tempus locum, modum, & quibus eum præparationibus, ſe diſpoſuerit ad illam. Id faciam, reſpondit illi, modicam tantùm habeto mecum patientiam, & omnia, quæ tibi debeo, exſolvam

## ARGUMENTUM.

### *Diſpoſitiones, quas Sanctiſsima Virgo attulit pro morte ſuâ, & quænam fuerit infirmitas ipſius lethalis.*

### ARTICULUS II.

Doctores infirmitatis ſunt præcurſores mortis, & Deus ex affectu miſericordiæ ſuæ, aſſuevit ipſas immittere cunctis hominibus, ad admonendum illos, ut ſe exſpectarent, ac parati

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

parati eſſent ad ſe recipiendum; ſed Sanctiſſima Virgo nunquam experta eſt ipſas, eòquòd non indiguerit hâc admonitione, ut ſe præpareret ad ultimum hunc tranſitum, quod faciebat cunctis momentis vitæ ſuæ, velut illa, quæ perfectiſſimè ſeparata erat à creaturis, & intimè unita cum Deo ſuo.

S. Damaſc. orat. de Deiparâ. Galatin. lib. 7 c. 10. Niceph. lib. 1. hiſt. c. 35. Sanctiſſima Virgo nunquam fuit infirma.

Sanctus Joannes Damaſcenus, Galatinus, Nicephorus, & plures alii aſſeverant, quòd cum ipſa habuerit Corpus perfectiſſimum, meliúſque diſpoſitum cunctis Corporibus humanis, poſt illud Filij ſui Unigeniti, nunquam affecta fuerit aliquo morbo vel infirmitate, non magìs, quàm particeps non fuit peccati cæterorum filiorum Adæ; & mors ipſius hâc in parte ſimilis fuit vitæ ipſius, exempta ab infirmatibus, & omnis generis doloribus; nolo dicere, ipſam nunquam ſuſtinuiſſe aliquem dolorem eòquòd non honoretur titulo Reginæ Martyrum, niſi quia ſuſtinuit plura quàm ij omnes per totum curſum vitæ ſuæ; ſed dico, ipſam non ſuſtinuiſſe dolores infirmitatis, etiam morti proximam, ubi tales eſſe ſolent vehementiores.

S. Ambroſius ſerm. de ſanctis Martyribus Gregor. Turon. de gloriâ plurimorum Martyrum

S. Joannes Evang. nunquam fuit infirmus.

Haud difficulter credes, hoc privilegium conceſſum fuiſſe Matri Dei, eòquòd infinita ipſius bonitas id non negaverit nonnullis fidelioribus ſervis ſuis Sanctus Ambroſius & Gregorius Turonenſis ſcripſerunt, quod S. Joannes Evangeliſta, poſt longiſſimam vitam totus plenus meritis ipſemet intraverit in ſepulchrum ſuum, ibíque decenter ſe componens velut in lecto ſuo, ſuaviter obdormierit in Domino, quin ſenſerit ullum infirmitatis alicujus dolorem.

Deut 34. Moyſes vixit & mortuus abſque ullâ infirmitate.

Et ſacra Scriptura teſtimonium reddit Moyſi, fideli & familiari amico Dei, quòd dentes illius non moti ſint, nec caligaverit oculus ejus, & aſcenderit ex mandato Dei ſuper montem quendam Terræ Moab, ibíque ſuam reddiderit animam, non obrutus pœnoſæ mortis agone, ſed delibatus ſuaviſſimo amplexu DEI ſui: *Mortuus eſt Moyſes in oſculo Domini.* An credendum ſit, quòd ſavores eximij, quos conceſſit quandóque DEUS paucis maximorum ſervorum ſuorum, denegati fuerint Sanctiſſimæ Matri ipſius?

Guerrius Abbas.

Antiquus Abbas Guerricus egregio compendio deſcripſit nobis initium, progreſſum, & finem vitæ ipſius, idque tribus ferè verbis quæ proponunt eam ſemper patientem, ſempérque languentem, ſed nunquam infirmum alia infirmitate, quàm illâ divini amoris, *Beatiſſima Virgo languit timore totâ vitâ, dolore in paſſione, amore in morte:* Summa reverentia, quâ proſequebatur Filium JESUM faciebat languere ipſam timore; compaſſio ob tormenta & cruciatus paſſionis ipſius, faciebat ipſam languere dolore; & ardens deſiderium videndi ipſum in cœlo, con-

ſumebat vitam ipſius in languoribus amoris.

Rupertus in cap. 3. Cant. Sanctiſſima Virgo tolerabat ſævos dolores amoris.

Hinc Rupertus Abbas, non minùs doctus, quàm ſpiritualis & devotus, ita loquentem ipſam introducit: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, annuntiate illi, quia amore langueo; dicite illi, quod vita mihi ſit tormentum, quamdiu ſeparor ab eo, dicite illi, quod lacrymæ meæ mihi ſint panes die ac nocte, quamdiu interrogo meipſam: Ubi eſt dilectus tuus? Ubi eſt Unigenitus Filius tuus? Ubi eſt Deus tuus?* Adjuro vos Filiæ Jeruſalem, animæ beatæ, quæ jam fruimini præſentiâ illius in cœlo; obſecro vos per reverentiam & amorem, quo proſequimini ipſum: Nuntiate illi cruciatum, quo hìc dilanior in terris; dicite illi, ſufferre ampliùs ipſum non poſſe cor meum; abſentiam ipſius torquere me; diuturnitatem mei exilij me cunctis occidere momentis: Suſpiro, langueo, morior præ deſiderio videndi illum:

Cant. 5.

*Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo.*

Quid opus eſt ſacratiſſima Amatrix, Virgo Sanctiſſima, quid opus eſt, ut hoc alius illi dicat? An fortaſſis id ipſe ignorat? Quando interrogavit is tertiâ vice Apoſtolorum ſuorum Principem: *Petre amas me? Petre amas me? Petre amas me plus his?* Reſpondit is ipſi: Mi Domine tu omniâ nôſti, tu ſcrutaris intima cordis mei; non te latet, quanto ardore amem te, eóquód ipſemet conceſſeris mihi omnem, quo proſequi te poſſum, amorem. Quantò magis verum eſt, ipſum perfectiſſimè cognoſcere omnem amorem, quo exæſtuas in ipſum? Nónne proprium cor tuum inceſſanter loquitur ipſi de magnitudine amoris tui? Nónne ad ſingulas, quas facit, reſpirationes, effatur ad illum ardentia hæc verba, quæ dicere & inceſſanter repetere nos oporteret in penetralibus cordium noſtrorum? *Tu ſcis Domine, quia amo te: Tu ſcis Domine, quia amo te: Tu ſcis Domine, quia amo te:* Quid opus igitur eſt, ut annunties id illi per alios, qui tam exactam illius non habent cognitionem, qualem ipſe & tu?

Amor Sanctus vellet, ut omnes creaturæ ſervirent ipſi ceu voces & Echones ad publicandum ſe ubique.

Quid inquis? Reſpondet Amatrix hæc; videtur mihi, me nunquam id ſatis illi dicere poſſe, & nunquam ipſum poſſe, id nimiùm ſcire. Contenta non ſum, ſi omnes Angeli, omnéſque homines, & creaturæ omnes, etiam inſenſibiles, non loquantur ipſi de amore meo, & quidquid de hoc ipſi dicere poſſunt, ſatis nunquam dicent de illo. Sic fermè Rupertus Abbas exprimit deſideria, languores, & tormentum amoris, quo excruciatur Sanctiſſima Virgo, anhelans videre & poſſidere ipſum.

S. Anſelmus de excellent. Virg. c. 4. *Superat om-*

Et Sanctus Anſelmus affirmat, quòd omnium rerum creatarum amor infirmus ſit, ſi comparetur cum amore Sanctiſſimæ Virginis.

Amor

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*nium rerum creatarum amorem & dulcedinem magnitudo amoris iſtius Virginis in Filium.*

Amor Jacob, quando cognovit, Filium ſuum Joſeph, quem mortuum credebat, vivere & regnare in Ægypto; quando cor ipſius, quod ſaliebat præ gaudio ad hoc nuntium, moriebatur præ deſiderio videndi ipſum, nihil erat in comparatione deſiderij, quo exarſit Sanctiſſima Virgo aſpiciendi Filium ſuum regnantem in cœlo, poſtquam morientem ipſum aſpexerat in cruce: Ille Regis David, qui comparabat ſummum, quo æſtuabat, deſiderium poſſidendi Deum, ſibi currentis cervi per ſaltus, & anhelantis fontes aquarum, nihil erat in comparatione ſitis ardentis, quâ Sanctiſſima Virgo flagrabat, bibendi cum gaudio ex fontibus Salvatoris. O anima incomparabilis! O Amatrix ardentiſſima, quæ divino exæſtuas amore, plùs quàm omnes amantes ſimul! quâ ratione vivere poteras unico duntaxat die in hoc ſtatu? Non admiror te eſſe mortuam, ſed admiror, te vivere potuiſſe unicâ horâ in hoc tormento.

Hem itáne, interrogavit ipſum Chryſantus, an igitur vivere ipſa diu potuit in hoc igne, abs eo, quod moreretur? Æſtimarem hoc majus miraculum eo, quod ſpargitur de tribus pueris in fornace Babylonicâ? Reſponſum eſt ipſi; Ita procul dubio, id ingens eſt miraculum. Verum enim eſt, quòd ſi tota vita Matris Admirabilis, continuum quoddam fuit miraculum maximis refulgens prodigijs, longè majus fuerit ab Aſcenſione Domini noſtri uſque ad finem vitæ ipſius: Siquidem majori cum veritate ipſa poterat dicere, quàm Sanctus Apoſtolus Paulus; *Quotidie morior:* Non eſt ullum vitæ meæ momentum, quo non moriar, quòd meæ non ſit inſtans mortis; & nihilóminus vita hæc ſemper moriens, & mors hæc ſemper vivens, multis adhuc duravit annis. Quot igitur annos exegit in medio harum omnium flammarum in terris? Interrogavit eum Chryſantus: Noſter Viator reſpondit ipſi.

1. Cor. 15.

Nonnulli dicunt vixiſſe ipſam ab Aſcenſione Filij ſui Unigeniti duodecim annis, ſicque finijſſe vitam ſuam, circa ætatem annorum ſexaginta. Sanctus Antoninus eſt hujus opinionis: Nicephorus non tribuit illi, niſi quinquaginta novem: Petrus Aquilenſis tenet, quòd non vixerit, niſi quadraginta novem annis, quinque menſibus, & viginti cum uno diebus. Alij adijciunt ipſi multò plus; ſiquidem Baronius defendit, vixiſſe ipſam annis ſeptuaginta duobus. Sanctus Anſelmus extendit vitam ipſius uſque ad annos octoginta duos. Opinio communior, magiſque uſitata credit, vitam ipſius fuiſſe ſexaginta & trium annorum. Hæc eſt Euſebij in ſuo Chronico; & Sancta Birgitta affirmat, ipſam Sanctiſſimam Virginem ſibi ita revelâſſe.

S. Antonin. lib. 9. hiſt. tit. 6. cap. 7. Niceph. lib. 1. c. 3. Aquil. lib. 1. catal. c. 45. Baron. tom. 1. ad an. 48. Euſeb. chron. an. 48.

S. Birgitta lib. 7. c. 26. quot annis vixerit Sanctiſſima Virgo.

láſſe. Et videtur, Sanctam Eccleſiam huic opinioni adhæſiſſe, dum approbavit coronam è ſexaginta tribus Ave MARIA in memoriam omnium annorum, quibus Sanctiſſima Virgo vixerit in terris; & juxtà hanc opinionem oportuit vixiſſe ipſam quindecim annis poſt Aſcenſionem Domini noſtri.

Actor. 17. Dionyſ. Areop. de Divin. Nom. c. 3.

Nihilóminus hæc opinio non omnimodè concordaret cum Chronico Actuum Apoſtolorum, ubi in capite decimo ſeptimo recenſetur Converſio ad fidem Sancti Dionyſij Areopagitæ ex prædicatione Sancti Apoſtoli Pauli, quæ non fuit niſi decimo octavo anno à morte JESU Chriſti. Jam idem Sanctus ſcripſit in Libro de divinis Nominibus, quòd venerit Jeroſolymas ſub tempus mortis Sanctiſſimæ Virginis; procul dubio autem non venit in anno quo converſus fuit; cum veriſimile ſit, ipſum adhuc aliquo tempore manſiſſe Athenis, ut informaretur circa omnes Religionis, quàm fuerat amplexus, veritates: Bene enim inſtrui & edoceri voluit circa ipſius modum agendi, circa ſtatuta ipſius ordinem ac progreſſum: Et ideò diverſas inſtituit Conſultationes cum pluribus Chriſtianis, qui informârunt illum de Excellentijs Sanctiſſimæ Virginis, & ſuccenderunt in eo deſiderium maximum videndi illam, ſicut ipſemet affirmat.

Quando & quômodo S. Dionyſius Areopagita viderit Sanctiſſimam Virginem.

Venit igitur eo nomine Athenis Jeroſolymas, & hæc omnia requirebant tempus. Cum igitur Chriſtianus non fuerit niſi octodecim annis à morte Domini noſtri, & poſtquam factus eſt, permanſerit adhuc Athenis, manifeſtum omninò eſt, quòd vixerit non ſolùm quindecim annis, ſed ad minùs viginti annis & pluribus adhuc ab Aſcenſione Domini noſtri; ſicque opinio, quæ ipſi tribuit ſeptuaginta duos vitæ annos, probabiliter eſt conſona veritati.

Verum an exploratum non eſt, quo anni menſe, & quo menſis die, & quâ diei horâ, ipſa ſit mortua: vel ſaltem an certò non conſtat de loco? Satisfaciam tibi, reponit Viator noſter: Juxtà teſtimonium magìs communè Hiſtoricorum & Sanctorum Patrum, Sanctiſſima Virgo commorata eſt aliquo tempore penes ſepulchrum Domini noſtri in valle Joſaphat: Sophronius & Dionyſius Carthuſianus hujus ſunt ſententiæ. Abbas Guerricus ſimiliter tenet, ipſam quandóque abijſſe in vallem Joſaphat. Concilium Epheſinum dicit, quòd commorata fuerit per aliquot annos Epheſi cum Sancto Joanne Evangeliſta, quem Filius ſuus Unigenitus moriens in Cruce commendaverat ei ceu Filium; ſed ipſius habitatio magìs uſitata & diuturnior fuit Jeroſolymis, domúſque ipſius particularis fuit cœnaculum, locus tantùm honoratus à Domino, divinum nempè Sanctuarium, ubi JESUS Chriſtus operari

Sophronius lib. 4. de præcon. Virg. Guerricus ſerm. de Aſſumpt. Concil. Epheſ. orat. 2. de dormit. Virg. D. Damaſcenus Metaphraſtes.

Quando & ubi mortua ſit.

Vide Carthagenam de morbo Virg. hom. 4. in fine.

ſari voluit maxima quæque vitæ ſuæ miracula, ubi Sanctiſſimum inſtituit Sacramentum; ubi celebravit primam Miſſam cum ſuis Apoſtolis; ubi illos vacare juſſit ſolitudini & decem dierum orationi, ut ſe præpararent, quatenus induerentur virtute ex alto; ubi miſit illis Spiritum Sanctum, deditque mandatum prædicandi Evangelium in univerſo orbe; ubi denique Sanctiſſimam Matrem ſuam exigere voluit Sanctiſſimos vitæ ſuæ annos: Veriſimillimum igitur eſt in Sancto hoc loco hos ipſam concluſiſſe & ex eo conceſſiſſe in æternitatem. Ecce quantum ad locum mortis ipſius.

Dies mortis & Reſurrectionis ejus.

Et quantum ad tempus, quo ſcilicet menſe, quo die, & quâ horâ, videtur Eccleſia nobis inſinuare, & ad credendum proponere, quòd mortua ſit & reſuſcitata in menſe Auguſto, eòquòd in menſe hoc celebret Feſtum Aſſumptionis ipſius: Quoad diem menſis, devotio plerorúmque Sanctorum Patrum perſuaſum habet, ut in omnibus magìs ſit ſimilis Filio ſuo Unigenito, quòd mortua ſit die Veneris circa horam meridiei ſicut ipſe, & conſequenter reſuſcitata ſicut ipſe Dominicâ ſequenti; Et tandem aſcenderit in cœlum Corpore & Animâ ſicut ipſe, cum hâc Exceptione, quòd Filius illuc aſcenderit ex propriâ ſuâ virtute, & Mater per potentiam Filij ſui Unigeniti.

Hæc ſatis erant ad ſatisfaciendum devotæ curioſitati Chryſanti, cui poſthæc nihil amplius reſtabat quærendum; Sed Luitprandus, qui avidus adhuc erat novæ alicujus cognitionis, ſcire aliquid voluit de ipſius diſpoſitionibus ad bene moriendum, ducémque noſtrum interrogavit:

***

# ARGUMENTUM.

## *An Sanctiſſima Virgo diſpoſuerit ſe ad mortem per receptionem Sacramentorum, & ſpeciatim per illud extremæ unctionis.*

### ARTICULUS III.

Tria ſunt Sanctæ Eccleſiæ Sacramenta, quæ recipere cunctis incumbit fidelibus ut diſponant ac præparent ſe ad mortem beatam. Sanctus Auguſtinus id docet in libro, quem ſcripſit de curâ viſitandi infirmos. Primùm eſt Confeſſio; ſecundum ſacra Communio; & tertium extrema unctio.

Sanctiſſima Virgo nun-

Quantum ad primum ſpectat, indubitatum eſt, ipſam nunquam nece-

quam recepit Sacramentum pœnitentiæ

recepiſſe Sacramentum pœnitentiæ, neque per decurſum ſuæ vitæ, neque in articulo mortis; Ratio hujus ſolida & efficaciſſima, quæ dari poſſit cum omnibus Doctoribus Catholicis, eſt, quòd ad hoc recipiendum non habuerit capacitatem: Quare non? quia nunquam commiſerat ullum peccatum, etiam leviſſimum peccatum veniale in totâ vitâ ſuâ: Quomodo igitur confeſſa eſſet? de quo ſe accùſâſſet, eòquòd nulli culpæ fuerit obnoxia? à quo potuiſſet abſolvi, ſi nec materia, nec forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ conveniunt omnibus peccatoribus, convenerant perfectiſſimæ ipſius innocentiæ: Nunquam igitur illud recepit, vel recipere potuit. Ecce quantùm ad primùm.

Rationes, quæ perſuadent, ſanctiſſimam Virginem ſæpius communicâſſe.

Quantùm attinet ad ſecundum, quòd eſt illud Sacratiſſimæ Communionis, non minùs eſt indubitatum, quòd receperit frequentiſſimè per vitam ſuam hoc manna cœli, velut panem ſuum quotidianum, & potiſſimum in fine vitæ ſuæ, velut cœleſte viaticum, à quo deducenda erat ad domum beatæ ſuæ æternitatis: Quis de hoc dubitare poſſit? Nam imprimis.

Si aliqua creatura hujus unquam fuit capacitatis, ut viveret continuò ex hoc Angelorum pane, nemo eſt, qui diffiteatur, hanc fuiſſe Angelorum Reginam; ſi unquam aliqua fuit digniſſima, quæ reciperet Filium Dei in Auguſtiſſimo hoc Sacramento, fuit illa, quam Deus replevit omni gratiarum ſuarum abundantiâ, ut ipſam dignam redderet, ad ſe recipiendum; ſi aliqua ardenter deſideravit ipſum, fuit illa, quæ perfectiùs ipſum amavit ſola, quàm omnes ſimul Creaturæ; ſi aliqua jus habuit poſſidendi pretioſum hunc theſaurum, fuit illa, quæ recepit ipſum è cœlo, primò pro ſeipsâ; & deinde, ut impertiretur ipſum mundo, qui illum non habuit niſi per ipſam. *Quis plantat vineam*, interrogat Sanctus Apoſtolus Paulus, *& de fructu ejus non edit?* Si aliqua ejus cognovit valorem & infinitam dignitatem, fuit illa, quæ ſola magis penetravit divinum hoc Myſterium, quàm omnes ſimul Angeli, omnéſque ſimul Eccleſiæ Doctores. 1. Cor. 9. v. 7.

Tandem ſi aliqua anima fuit unquam certa de voluntate Dei circa uſum divini hujus Sacramenti, & ardenti deſiderio, quo flagrat, aſpiciendi ſe unitum intimè cum ipſâ per divinum hoc alimentum, quis unquam meliùs cognovit illud Sanctiſſimâ Virgine? Si igitur ipſa tam fuit capax, támque digna, ut reciperet divinum hoc Sacramentum; Si tam ardenti illius æſtuavit deſiderio, ſi tam ſpeciali potita eſt jure poſſidendi illud, ſi tam bene cognovit mentem, intentionem ac deſiderium Filij ſui Unigeniti, circa frequentem ipſius uſum & ſi tam fideliter conformavit ſe in omni-

omnibus & per omnia ipſius voluntati, an dubitare quis poſſit, quin receperit illud indies, vel indies fermè in vitâ ſuâ mortali?

Sanctiſſima Virgo communicavit quotidie in vitâ ſuâ, & præſertim in fine.

Sed potiſſimùm in fine: Siquidem invenimus antiquiſſimam hanc conſuetudinem in Eccleſiâ, quòd ſummâ curet ſolicitudine, ne filiorum ſuorum quiſquam decedat ex hoc mundo; abs eo, quòd præbeat illi ſacrum hoc Viaticum, quando id recipiendi habet capacitatem. Hanc ſuam ſolicitudinem & curam tam habet cordi, ut id præceperit in pluribus Concilijs Generalibus, Nationalibus, & Provincialibus; In Concilio Nicæno, in undecimo Toletano, in Agathenſi, Ancyrenſi, Arelatenſi, Aurelianenſi, Carthaginenſi, & in pluribus alijs; & hæc conſuetudo tantæ antiquitatis eſt in Eccleſiâ, ut, cum illius non inveniamus principium, meritò credamus, illam introductam eſſe à JESU Chriſto, & ipſius Apoſtolis. Certiſſimum igitur eſt, recepiſſe ipſam ſæpiſſimè Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, per totum decurſum vitæ ſuæ; & certius adhuc recepiſſe ipſam ſacrum Viaticum ſub tempus mortis ſuæ.

Vide Carthagenam ubi ſupra.

Ipſius preſbyter & Paſtor erat S. Joannes, diſcipulus dilectus.

Vis nôſſe, quis fuerit Presbyter adminiſtrans illi Viaticum? Quamvis nihil certi de hoc habeamus; nihilominus credibile eſt, & communis tenet opinio, ipſum fuiſſe Sanctum Joannem Evangeliſtam, Dilectum Domini noſtri Diſcipulum, cui in Cruce commiſerat ſpecialem Sanctiſſimæ Matris ſuæ curam, quando nimirùm JESUS moriens per modum teſtamenti reliquit illi Sanctiſſimam Virginem, volens, ut deinceps obſervaret illam velut propriam Matrem ſuam, & ipſa S. Joannem curaret velut proprium ſuum Filium. Veriſimillimum eſt, quòd, cum Sanctus Joannes & ditiſſimum & feliciſſimum ſe æſtimaret poſſeſſione & cuſtodiá pretioſi hujus theſauri, nunquam deſeruerit ipſam, ſed ipſi ſemper adhærens, ſervierit illi, conſolatus ſit illam, præcipuè noviſſimis diebus vitæ ipſius. Si igitur magnus hic Apoſtolus, magnus hic Antiſtes, & proprius hic Paſtor Sanctiſſimæ Virginis præſens ibi erat, quis credat, quòd alius porrexerit ipſi ſacrum Viaticum? Ecce, quantum ſpectat ad duo Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ.

Inquirendum reſtat, an Sanctiſſima Virgo receperit tertium Sacramentum, quòd eſt illud extremæ Unctionis: Quid judicas de hoc? Quare non? Reſpondet Luitprandus. Sanctus Antoninus, & B. Albertus Magnus non dubitant, quin receperit illud; & Suarez, qui doctiſſimis Theologis accenſetur, ipſorum quoque amplectitur ſententiam: Rationes, quibus opinionem ſtabiliunt ſuam, admodùm ſunt ſolidæ. Prima eſt, quòd hoc Sacramentum conferat non ſolùm gratiam ſanctificantem, ſed etiam ſin-

S. Antonin. 3 p. tit. 4. c. 8. §. 3.
B Albertus in Mariali. cap 71
Suarez 3 p. t. 2. diſp. 18. ſect. 3.

gulare robur ad oppugnandum & ſuperandum inimicos ſalutis noſtræ in ultimo agone, à quo dependet victoria animæ, & æternus ipſius triumphus in gloriâ: Cur igitur credatur, Sanctiſſimam Virginem non recepiſſe potentiſſimum hoc ſubſidium?

Rationes, ob quas recipienda extrema unctio.

Secunda eſt, quod extrema unctio ſit ſpecies quædam Conſecrationis Corporum Fidelium, quorum animæ coronandæ ſunt gloriâ in cœlis, dum ipſorum Corpora remanent in terris, ubi Eccleſia impendit ipſis honorem ſepulturæ, illa collocat in locis ſanctis, illáque velut pretioſas veneratur Reliquias, quando certitudo habetur de ipſorum Sanctitate. Jam an unquam Corpus fuit ſanctius, excepto Corpore JESU Chriſti, quàm illud Sanctiſſimæ Virginis? Cur igitur dubitaretur, quin receperit ſanctam hanc Unctionem in noviſſimo die, quo ipſius Corpus ſeparandum erat ab ipſius animâ.

Conſule Carthag. tom. 1. lib. 2. hom. 2.

Tertia, quæ dari poteſt, eſt ratio, quod quamvis forma extremæ Unctionis videatur ſignificare peccatum; ſiquidem conferens illam, dicit infirmo: *Per iſtam Sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid &c. peccaſti*: quamvis, inquam, loquatur de peccato, & Sanctiſſima Virgo, cum nullum unquam commiſerit peccatum, ejusmodi indulgentiæ, quæ nonniſi pro peccato datur, non fuerit capax; nihilóminus, ſi bene conſiderentur verba Apoſtoli S. Jacobi, clare perſpicitur, illa nonniſi fuiſſe conditionata; affirmat enim: *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei*: Satis igitur per hoc declarat, eos, qui caruerint peccatis, propterea incapaces non eſſe ad illud recipiendum.

Forma particularium Verborum, quâ utebatur S. Ambroſius conferens extremam unctionem.

Ita Sanctus Ambroſius conferendo extremam unctionem, non utebatur in formâ ijsdem verbis, quibus hodie noſtri utuntur presbyteri: Dicebat enim: *Ego ungo oculos tuos Oleo Sancto, in nomine Patris &c.* Ubi vides, nullam fieri mentionem peccati; & Papa Leo X. approbavit Rituale Venetorum, ubi hæc forma Verborum adhibebatur. Nulla igitur indecentia eſt, quæ impedire potuiſſet Sanctiſſimam Virginem à receptione ultimi hujus Sacramenti; imò plures bonæ adſunt rationes, quibus poterat ad hoc adduci. Unde firmiter teneo, ipſam id verè recepiſſe.

Et ego, inquit Viator, firmiſſimè credo, quòd non ſolùm id non receperit, ſed nec capax fuerit ad illud recipiendum; ſiquidem inprimis, quem ob finem, vel quem in uſum inſtitutum eſt Sacramentū extremæ Unctionis? Nónne eundem ob finem, ob quem JESU Chriſti inſtituit in Eccleſiâ ſuâ Sacramentum Pœnitentiæ, nimirum ob remiſſionem peccatorum? ubi nonniſi hæc inter duo iſta Sacramenta eſt differentia, quòd Pœniten-

tentia remittat peccatum mortale, & extrema unctio remittat peccatum veniale; Pœnitentia deleat culpam, extrema unctio aboleat pœnam, & omninò tollat reliquias peccatorum. Unde eſt, quòd Theologi dicant, extremam Unctionem eſſe complementum & ultimam perfectionem Pœnitentiæ, & ambo hæc Sacramenta reſpicere remiſſionem peccatorum. Cum igitur Sanctiſſima Virgo nulli unquam obnoxia fuerit peccato, háncque ob cauſam capax non fuerit ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quomodo capax fuiſſet ad recipiendum illud extremæ Unctionis?

Rationes pro ſententiâ, quòd Sanctiſſima Virgo non receperit extremam Unctionem,

Ulteriùs, quem habere potuiſſet effectum in Sanctiſſimâ Virgine ultimum hoc Sacramentum? An hunc, ut ſuppeditaretur illi robur ad pugnandum contra inimicos ſalutis ſuæ in ultimo ſuo agone? ſed quem agonem tolerabat in morte ſuâ, niſi illum perfecti ſui amoris, cui potentiæ ex toto corde ſuo ſeſe committebat? & quales ſalutis ipſius inimici accedere fuiſſent auſi ad oppugnandum illam in hoc agone? An dæmones ad tentandum illam? ſed nunquam facultas ipſis fuit appropinquandi divino huic ſanctuario, ſemper honorato à præſentiâ Arcæ, ſemper repleto abundantiâ gratiarum, ſemper circumfuſo pluribus legionibus Angelorum: An fuerint inimici hominis domeſtici, rebelles ipſius paſſiones, inquieta ipſius deſideria, inordinati ipſius erga creaturas affectus? ſed nullum habuit ipſa affectum nec votum, niſi fruendi, nullum in animâ deſiderium, niſi poſſidendi ipſum, nullum amorem niſi ergà dilectum ſuum.

Eccur igitur recepiſſet Sacramentum extremæ unctionis! Fortaſſis, ut conſecraret Corpus ſuum per ſacra olea, & faceret ex eo pretioſas reliquias? Verùm an ſacratior evaſiſſet per ultimam hanc unctionem, quàm fuerat per gratiam divinæ maternitatis ſuæ; ſicut JESUS Chriſtus nuncupatus eſt Unctus Domini per antonomaſiam, Rex Regum, & Pontifex maximus Religionis, quin unctus vel conſecratus fuerit ab hominibus, eòquòd mirabiliter unctus & conſecratus eſſet à propriâ ſuâ Divinitate: *Chriſtus unctus Divinitate*: Sic Sanctiſſima ipſius Mater erat Regina Angelorum & hominum, admota muneri, quod in dignitate & ſanctitate tranſcendit id omne, quidquid cæteræ creaturæ unquam potuerunt vel exequi, vel aſſequi, quin indiguerit vel conſecratione, vel unctione aliâ, niſi illâ gratiæ, divinæ ſuæ Maternitatis.

Presbyteros, quos veneramur velut Perſonas Sacras, eòquòd potiantur honore, ut participent ex Sacra unctione magni presbyteri JESU Chriſt per characterem

ſacerdotalem, oportet inſuper manus habere conſecratas per ſacra olea, ut obtineant facultatem contingendi adorandum ipſius Corpus, ſuorum duntaxat digitorum extremitate: Sed omnia erant tam ſacra, támque conſecrata in Perſonâ Sanctiſſimæ Virginis, ut habuerit ipſa omnem libertatem attrectandi ipſum ſuis manibus, oſculandi ipſum ſuis labris, admovendi ipſum Virgineis ſuis uberibus, citra quod aliâ opus haberet unctione, quàm illâ gratiæ divinæ Maternitatis ſuæ. Dicendum igitur non eſt, recepiſſe Sacramentum extremæ unctionis, cæterorum Fidelium more, ut reciperet ex eo Corpus ſuum novam dignitatem.

II. Sacramentis moribundorum Sanctiſſima Virgo non niſi unum recepit de altero dubitatur.

Aſſerendum eſt ergò, concludit Luitprandus, ex toto hoc diſcurſu, quòd è tribus Sacramentis à te nominetis, Confeſſione, Communione, extremâ Unctione, certum ſit, ipſam non recepiſſe primum, certiùs adhuc recepiſſe ſecundum; quòad tertium, indeciſa adhuc res ſit & controverſa inter Doctores Catholicos; adeóque permiſſum eſt mihi credere quod voluero.

Dum uterque ſuam propugnabat ſententiam, altum ſervabam ſilentium, non auſus interpellare illum, qui nos inſtruebat; audiebam enim illum venerabundus velut Angelum. Nihilóminus maximo tenebar deſiderio addiſcendi, quid accideit in ultimo Matris Dei Tranſitu; quinam aſtiterint illi, quænam pompa extiterit funebris; & ex providentiâ Dei factum eſt, ipſummet de his locutum eſſe nobis, uti intelligis.

# ARGUMENTUM.

## *Majeſtas pompæ funebris in ſepulturâ Sanctiſſimæ Virginis.*

### ARTICULUS IV.

Deus abſcondit nobis diem & horam mortis noſtræ in pœnam peccatorum, & utilitatem juſtorum.

Nihil certius eſt morte, ſed nihil quoque ipſius horâ eſt incertius; videtur ſibi Deus reſervâſſe hujus rei arcanum in peccatorum punitionem, & juſtorum utilitatem. Incertum tempus mortis conſervat in animâ peccatorum certam quandam ſpem longioris vitæ, ex quâ arripiunt confidentiam & occaſionem perſeverandi in ſuis criminibus, & differendi converſionem ſuam in aliud tempus, quod ſperant ſe habituros: ſed ſpes ipſorum vana eſt & fallax; plerumque enim obruit illos mors in tempore, quo non exſpectant.

Ex oppoſito incertitudo ipſius

horæ

horæ utiliſſima eſt juſtis; eòquòd, cum neſciant, neque quo loco, neque quo die, neque quâ horâ hæc exſpectet ipſos, ipſi ſemper exſpectent illam, & ubique, & ſemper ad illam ſe ſervent præparatos, ſicque nunquam & improviſo obruantur ab illâ. Sed incertitudo hæc meliorem adhuc producit effectum in animabus Sanctis; & eſt, quòd pariat in illis certum quoddam faſtidium & contemptum vitæ præſentis, ex quo nauſeent omnes res mortales; & faſtidium hoc producit in ipſis deſiderium, quo anhelant quamprimùm ab illis liberari; & quia incerta ſunt, quando beatus & auſpicatus hic affulſurus ſit dies, quantò hic magis protelatur, tantò magis ipſarum augetur & accenditur deſiderium; & hoc deſiderium, quando eſt ardens, afficit ipſas quandóque tam ingenti tormento, ut Sancta Tereſia dixit: *Morior quotidiè, ex eo quod quotidiè non morior: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.*

Sed infinita bonitas Dei, quæ oblectatur aſpiciendo tam ſpecioſas afflictiones in animabus, complacet ſibi etiam conſolari illas, tollendo illis hanc incertudinem, quæ ipſarum eſt cauſa, & revelando illis interdum tempus mortis ſuæ. Hæc eſt gratia, quam impertitus eſt Sancto Petro, quámque Sanctus Petrus manifeſtavit cunctis fidelibus in primâ ſuâ Epiſtolâ: *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*: Hanc etiam exhibuit Sancto Paulo, quamque is expoſuit Diſcipulo ſuo Timotheo: *Tempus reſolutionis meæ inſtat*: Hanc quoque elargitus eſt pluribus magnis Sanctis, uti videre eſt in ipſarum Geſtis: verùm ſi tantæ bonitatis fuit erga ſervos ſuos, quid feciſſe ipſum credere poſſumus Sanctiſſimæ Matri ſuæ?

2. Pet. 1.

2. Tim. 4.

Nicephorus libro ſecundo ſuæ hiſtoriæ, capite duodecimo affirmat, quòd JESUS Chriſtus videns ſummè affligi ipſam ex ardenti deſiderio aſpiciendi finem exilij ſui, annuntiaverit ipſi per Angelum diem & horam mortis ſuæ, vel potiùs afferri illi juſſerit auſpicata nova de triumpho ſuo, unde ipſius anima ſummo delibuta ſit gaudio; & adjungit, quòd pro Coronis, quas acceptura erat in cœlis attulerit ipſi palmam, cujus omnes rami refulgebant velut ſtellæ, ordinans & mandans ipſi ex juſſu Filij ſui, ut illam portari ante ſe curet in cæremonijs funeris ſui. Sic certior facta fuit ipſa de fine vitæ ſuæ, & ſecura de ſuâ victoriâ. Sed quidnam poſthâc accidit? Ecce quid plures referant Auctores fide digniſſimi de prodigijs ipſius obitûs, & de Majeſtate pompæ ipſius funeralis.

Deus annunciat per Angelum Sanctiſſimæ Virgini diem & horam mortis.

Nicephor. l. 2. c. 12.

Apoſtoli, qui diſperſi erant in cunctis mundi partibus ad prædicandum Sanctum Evangelium, cognoverunt ex revelatione quâdam

dam diem obitûs ipſius; & omnes eodem tempore ſublati ſunt ab Angelis, & transportati Jeroſolymas, ut ſimul omnes aſſiſterent illi, & ſupremùm ipſi dicerent vale ipſius reciperent benedictionem, morti ipſius eſſent præſentes, ut funeralibus ipſam proſequerentur honoribus. Omnes non absque magno prodigio ibi aderant, Apoſtolo S. Thoma excepto, qui tribus poſt diebus modò advenit, & Sancto Jacobo S. Joannis fratre Germano, qui ab Herode affectus jam erat Martyrio. Hanc veritatem tot boni atteſtantur Auctores, ut meritò & cum ratione dubitari de illâ non poſſit: Hi ſunt Sanctus Joannes Damſcenus, Gregorius Turonenſis, & ante hos S. Dionyſius Areopagita, qui ipſemet affirmat, aſtitiſſe ſe morti Sanctiſſimæ Virginis cum omnibus Apoſtolis, cum Sancto Timotheo, primo Epheſi Epiſcopo, Sancto Jacobo Fratre Domini, & Sancto Petro, qui nominatur ſupremum & antiquiſſimum Caput Theologorum, & ſanè admodùm credibile eſt, quòd ſi Deus olim transferri fecit Prophetam Habacuc, miniſtrante Angelo, qui portavit ipſum in aëre, ſuſpenſum è crinibus Capitis ſui, ex Judæa in Babylonem, ut ſuccurreret Danieli ex fame morienti in Lacu Leonum; credi ſimiliter poſſit, quòd transferri fecerit Apoſtolus è locis remotiſſimis Jeroſolymas, miniſtrantibus Angelis, ad honorem, conſolationem & ſervitium Sanctiſſimæ Matris ſuæ.

Glycas affirmat, quòd non ſolum Apoſtoli, ſed etiam Diſcipuli præſentes ibi fuerint; & Metaphraſtes aſſerit adhuc plura; ſiquidem adjungit, quòd, cum Sanctiſſima Virgo in tantâ veneratione eſſet ut impoſſibile fuerit ipſam aſpicere abſque profundâ reverentiâ & amore tenerrimo, infinita multitudo virorum, mulierum, Virginum eam ardentiſſimè amantium, omnis ſtatûs & conditionis catervatim accurrerint ad mortem ipſius, tum ut ipſius expeterent benedictionem, tum ut honorarent ipſius obitum ſuarum abundantiâ lacrymarum.

Metaphraſtes in orat. de vitâ & morte Virginis.

Quinam præſentes fuerint morti Sanctiſſimæ Virginis.

Sed plus his omnibus eſt, quòdque Sanctus Joannes Damaſcenus nobis exaratum reliquit; quòd ipſemet JESUS Chriſtus in perſonâ præſentem ſe exhibuerit pluribus Angelorum legionibus circumfuſum, ut proprijs ſuis manibus exciperet puriſſimam Matris ſuæ animam, in ultimo ſuſpirio vitæ ipſius: Et hoc nimis quàm credibile eſt; ſiquidem cum promiſerit Apoſtolis ſuis, conſolando ipſos, ex eo, quòd illos deſereret, ut reverteretur in cœlos ad ſinum Patris ſui, reverſurum ſe ad ipſos, eóſque recepturum ad ſe: *Iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum*; an dubitare quis poſſit, quin venerit ad Sanctiſſimam Matrem

Damaſcenus orat. de dormit. Virg.

Joan. 14. 7. 3.

trem

trem ſuam, ut eam ad ſe acciperet, & reciperet in cœlo illam, quæ receperat ipſum in caſtiſſimo utero ſuo, quando deſcendit in terras? An dubitari poſſit, quin clarè viderit ipſum ſibi proximum, non minus quàm ſanctus Stephanus videret ipſum ſtantem in cœlo ad dexteram Patris ſui, dum ſuum exantlabat & obibat Martyrum? An denique dubitare quis poſſit, quin repleta fuerit gaudio majori, quàm omnis intellectus humanus poſſit concipere, quando proximam ſe vidit momento tam ardentibus votis exoptato, quo ſuam deponeret animam in manus Dei ſui, Filij ſui, dilecti ſui.

Quanto cum ſolatio concluſerit ſanctiſſima Virgo Sanctiſſimam vitam ſuam.

O Mater Admirabilis! An igitur hâc ratione tuam concludis vitam? An nuncupanda ſit mors, quæ potiùs jucundus ad vitam eſt tranſitus? An proſequendus lacrymis talis obitus, niſi forſan ſint lacrymæ amoris? Ah! Beatiſſima Virgo, amabile refugium peccatorum, inceſſanter deprecamur te, ut opituleris nobis, nunc & in horâ mortis noſtræ; audi nos, exaudi nos, ô Mater Miſericordiæ, præſens eſto morti meæ, & tecum quid affer mihi ex admirandis diſpoſitionibus tuis. O ſi ſaltem habere tunc poſſem aliquam ſtatûs, in quo tepingo te, umbram! O ſi affectuum tuorum mihi unica tantùm obtingeret tunc ſcintillula? Non deſinam obſecrare te, & invocare te, majori cum ardore, quàm unquam hucuſque feci: *Sancta MARIA Mater Dei, ora pro nobis nunc nunc, & in hora mortis noſtræ Amen.*

S. Damaſcenus de Dormit. Virg Metaphraſt. in hiſt. de dormit. Niceph. l. 2. c. 25.

Non videre eſt ecclypſari ſolem, nec tremere terram, nec totum univerſum concuti, in horâ tranſitûs Virginis Sanctiſſimæ, eòquòd nihil hìc occurrerit funeſtum; E contra ubivis effuſum erat gaudium in cœlo & in terrâ, uti deſcribunt Sanctus Joannes Damaſcenus, Metaphraſtes, & Nicephorus. Ex parte cœli replebant Angeli totum aërem ſuaviſſimâ harmoniâ, uti fecerant in Domini noſtri die Natali: Et ex parte terræ, Sancti Apoſtoli, qui totam repræſentabant Eccleſiam, quique in modum coronæ ſtipabant pretioſum hoc corpus, decantabant ipſius laudes, ipſique ſinguli ſingula accinebant elogia, ex abundantiâ cordis ipſorum profecta; omnes ſummâ cum reverentiâ exoſculabantur ipſi manus ac pedes; omnes admirabantur pulchritudinem hujus Tabernaculi DEI cum hominibus, quod conſpicere erat tantâ refulgens gloriâ, támque cœleſti perfuſum odore, ut videretur dies eſſe non mortis, ſed Reſurrectionis ipſius.

Omnia gaudebant in morte Sanctiſſimæ Virginis.

Carthag. lib. 13. hom. 5.

Et poſtquam reveriti ſunt illud, & impertiti facultatem præſentibus pauliſper approximandi, ſuáq; ſanctificandi labia pretioſorum horum lipſanorum contactu, funebrem diſpoſuêre comitatum, qui talis

talis fuit, uti referunt antiqui Auctores, ex traditione id accipientes. Sanctus Joannes ducebat chorum, primúsque incedebat, portans in manibus ſuis palmam, quam Angelus attulerat ipſi è cœlo, annuntians illi ſuæ mortis horam; Sanctus Petrus & alij Apoſtoli portabant ipſius corpus, & alij adſtantes partim ſtipabant, partim ſequebantur illud, nonnulli cum alto & venerabundo ſilentio, alij cantabant hymnos, & omnes id honorabant juxta vires ſuas: Et hâc ratione deduxerunt, & depoſuerunt illud in monumento protſus novo tenui eo quidem & ſimplici, ſed pretioſiore & ſplendidiore cunctis Mauſolæis ſuperbiſſimorum & ditiſſimorum Regum terræ. Sed in quo loco erat hoc monumentum, interrogavit Luitprandus.

Qualis fuerit comitatus funebris.

Omnes ferè Auctores, reſpondet Viator noſter, conveniunt in hoc, quòd fuerit in valle Joſaphat, in loco Gethſemani propè ſepulchrum Domini noſtri. Perſtitit id integrum nonnullis annis, uſque ad tempora Veſpaſiani & Titi, quando tota adæquata eſt ſolo Jeroſolyma, ubi & monumentum Sanctiſſimæ Virginis ita ſuis ſepultum eſt ruinis, ut nemo amplius ipſius habuerit cognitionem, uſq; ad tempora Imperatoris Martiani & Imperatricis Pulcheriæ, quibus temporibus per diligentem inquiſitionem inventum eſt tandem, ſed ita abſconditum ſub antiquæ Jeroſolymæ ruinis ac ruderibus, ut per ſexaginta gradus deſcendendum fuerit ad illud; modò apertum eſt, & oſtenditur Terram Sanctam inviſentibus peregrinis; ſed inane eſt, & nihilóminus exhalat adhuc neſcio quos odores cœleſtes, quibus fuerat perfuſum, eò quòd receperit & cuſtodierit per aliquos dies pretioſiſſimum Corpus Sanctiſſimæ Virginis. Quò igitur devenit ſacrum hoc depoſitum? Interpellat Chryſantus; Quisnam ſuſtulit illud è monumento ſuo? Ubi commemorati modò memoratur? Intelliges id illicò, reſpondit Viator.

Quid conſtet de ipſius tumbâ.

# ARGUMENTUM.

## *De Reſurrectione Sanctiſſimæ Virginis.*

### ARTICULUS V.

Probatio quod Corpus Sanctiſſimæ Virginis ſit in cœlo.

CUM Sanctiſſimæ Virginis Corpus nullibi ſit in terris, nec ulla mundi pars fuerit unquam gloriata, poſſidere ſe pretioſas has Reliquias, vel minimam ſolùm illarum partem, dicendum igitur eſt, id eſſe in cœlo: Hæc univerſim eſt mens totius Eccleſiæ, quæ

quæ annuatim celebrat Feſtum Aſſumptionis ipſius tantâ cum magnificentiâ, ut ad exprimendum gaudium, quod concipit ex illâ, incipiat eo fine hujus diei Miſſam ab hiſce verbis lætitiæ: *Gaudeamus omnes in Domino.*

Huic accinit teſtimonium ſacræ Scripturæ, quæ etſi tam clarè non dicat, ipſam reſuſcitatam eſſe, & aſſumptam Corpore & Animâ in cœlum; nihilóminus plures habet ſententias, pluráque verba, quæ in hoc ſenſu exponuntur à Sanctis Patribus.

Suffragatur eidem univerſalis omnium Catholicorum Doctorum opinio, qui unanimiter nos docent, nósque ad credendum inducunt efficaciſſimis, validiſſimis & evidentiſſimis argumentis, quibus poſſunt, Sanctiſſimam Virginem eſſe in cœlo cum Corpore & animâ.

Tandem id probant rationes clariſſimæ, pijſſimæ & luculentiſſimæ, quæ allegari poſſunt ad probandam & ſtabiliendam aliquam veritatem: An ſufficiat introducere tibi loquentes omnes hoſce teſtes, ad perſuadendum tibi veritatem Reſurrectionis Sanctiſſimæ Virginis?

Novimus, quatuor tubas mittendas eſſe è cœlo in fine ſæculorum, ut fortiter ſuum emittant ſonum in quatuor mundi partes, unde quatuor oriuntur venti, & ubivis dent ſignum univerſalis Reſurrectionis omnium corporum humanorum: Sed ecce alias quatuor tubas validas, quæ publicent & evulgent ubique in univerſo mundo Sanctiſſimam Virginem reſuſcitatam jam eſſe & aſſumptam in cœlum Corpore & Animâ. Quatuor hæ tubæ ſunt Eccleſiæ, Scriptura, Sancti Patres, & Ratio.

## § I.

## *Prima tuba, quæ publicat in mundo Reſurrectionem Sanctiſſimæ Virginis, eſt Eccleſia.*

Eccleſia magnificè celebrat Feſtum Aſſumptionis SS. Virginis in univerſo orbe.

AUdite reſonare primam, quæ eſt Eccleſia: Emittit hæc vocem ſuam eodem tempore in omnes mundi Chriſtiani partes in die triumphi hujus Reginæ Cœlorum; celebrat ipſa divina myſteria magnificentiſſimis cum cæremonijs, Symphoniâ, Organis, campanarum ſonitu, & numeroſo crepitu tintinnabulorum induta & exculta omni eo, quem poſſidet, pulcherrimorum ornamentorũ ſplendore. Ipſa annuntiat & explanat omnibus filijs ſuis per ora prædicatorum Admirabilis hujus Matris magnificentias, ipſius applaudens gloriæ per elogia ac carmina lætitiæ, dum interim ipſa deportatur ab Angelis in cœlum cum Corpore & Animâ. Quis videns Eccle-

ſiam hiſce abreptam gaudijs, non credat veritatem myſterij, quod tantâ celebrat cum magnificentiâ?

Magnificentia admirabilis Reginæ Semiramidis.

Deprædicata eſt olim mirum in modum gloria Reginæ Semiramidis: Illuſtriſſima hæc Princeps moderabatur quadraginta per annos Monarchiam Aſſyriorum tantâ cum Sapientiâ, tantâ cum animi fortitudine, tantâque cum felicitate, ut generosè ſuperaverit, ſibíque ſubjugaverit Æthiopes, ut deleverit potentiſſimum exercitum Regis Indorum, ut theſaurorum ſuorum profuſione, juxta ſuæ ſplendorem magnificentiæ, complanari fecerit montes, ut conficeret ſemitas rectas & ambulatu faciles in toto ſuo imperio, & plura adhuc præſtiterit in ſuorum utilitatem populorum, quos amabat tenerrimè: ſiquidem, ut redderet campos fertiles, qui utplurimùm ſteriles erant ex defectu aquæ, proſpexit illis de magnâ aquarum abundantiâ, trahens Amnes ac fluvios ex proprio ſuo alveo, illósque diviſit & diſtribuit ubíque per canales vel aquæductus, ad irrigandum univerſam terram. Exantlavit ulteriùs magna alia facinora, plures egregias confecit actiones æviternâ dignas memoriâ; unde monumentò ſuo, ad divulgandam ſuam gloriam, hoc inſcribi juſſit Epitaphium: *Me natura quidem mulierem finxit, ego vero meis geſtis nulli fortiſſimorum Virorum inferior ſteti*: Adjungere autem poterat: Natura me fecerat naſci mortalem, ſed virtus me reſuſcitavit, ac immortalem reddidit in memoriâ omnium ſæculorum.

Beroſius lib. 5.

Sanctiſſima Virgo acquiſivit ſibi plus gloriæ, Reginâ Semiramide.

Magnum profectò & glorioſum hoc eſſe videtur, verùm quid ſit comparatum cum gloriâ Reginæ Angelorum hominúmque? Ipſa non ſolùm moderata eſt particularem quandam Nationem, ſicut Semiramis; ſed totam Mundi Chriſtiani gubernavit Monarchiam auctoritate ſuâ & conſilijs ſuis ab Aſcenſione Domini noſtri: Ipſa non ſolùm devicit Barbaros Æthiopiæ, ſed exterminavit ſola hæreſes & hæreticos ubivis terrarum: *Cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.* Ipſa non proſtravit exercitum Regis Indiarum; ſed ſuo contrivit pede Caput Principis tenebrarum: *Ipſa conteret Caput tuum.* Ipſa non complanavit ſemitas terræ, ſed complanavit ac faciles reddidit vias cœli exemplis ſuis, ac potenti interceſſione ſuâ; ipſa tandem non deduxit flumina aquarum, ut ubivis redderet terram fœcundam; ſed procuravit nobis & obtinuit à DEO torrentes gratiarum, quæ reddiderunt Sanctam Eccleſiam adeò fœcundam, ut non ceſſaverit producere ab eo tempore, plurimos fructus vitæ æternæ, Martyrum, Confeſſorum, Sanctarum Virginum, & ſpiritualium divitiarum infinitum theſaurum.

Hern

Hem quàm glorioſum Epitaphium inſcribendum foret ipſius monumento? Nimìs quàm parum eſt inſculpere illud Semiramidis: Natura me naſci fecit mulierem, ſed mea virtus me reddidit viris ſuperiorem. Aſt dicendum foret: Supergreſſa ſum omnem excellentiam Angelorum in cœlo: Nimìs parum eſt dicere; Immortalem me reddidi in memoriâ hominum, ſed dicendum foret; Reipsâ immortalis ſum, omníque refulgens gloriâ & corpore & Animâ, & ut talem me honorat & militans & triumphans Eccleſia. Adſcribendum igitur foret idem Monumento ipſius Epitaphium, quod non ſcripſerunt, ſed pronuntiârunt Angeli ſuper illo Salvatoris noſtri: *Surrexit, non eſt hîc*: Ecce locum, ubi poſuiſtis illam; is modò eſt vacuus, eòquòd ipſius corpus non ampliùs ſit in terris, ſed in cœlis, in throno gloriæ. Ecce tubam Eccleſiæ, quæ luculenter Reſurrectionem ipſius annuntiat vobis: an ſatis percepiſtis eam? percipite modò illam Sacræ Scripturæ.

Epitaphium monumenti Sanctiſſimæ Virginis.

## §. II.

## *Secunda tuba, quæ ubivis annuntiat Reſurrectionem Sanctiſſimæ Virginis, eſt Sacra Scriptura.*

QUid dicere ipſa vult in pſalmo centeſimo trigeſimo primo, alloquens DEUM hiſce verbis: *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificationis tuæ:* Quis dubitare poteſt quin loquatur JESU Chriſto collocato in monumentum ſuum, poſtquàm ſuam deperdidit vitam, in pugnis & laboribus Paſſionis ſuæ? An permanebis ſemper, Domine, ſic oppreſſus, ſic obrutus horrendorum cruciatuum tuorum pondere? Surge, reſuſcita te ipſum, & intra in requiem tuam; *Surge Domine in requiem tuam.* Ecce, quod maniſeſtè hæc verba dirigantur ad JESUM Chriſtum.

Pſal. 131.

Sed quid ſibi volunt hæc alia, quæ ſequuntur? *Tu & Arca Sanctificationis tuæ:* Quænam eſt hæc Arca, pro quâ ipſa ſimiliter expetit reſurrectionem, vel vaticinatur, ipſam quoque reſurrecturam, niſi Sanctiſſima Virgo? Nónne ipſa vera eſt Arca, quæ concluſit Manna Cœli; & Tabulas legis DEI in perſonâ Unigeniti Filij ſui, quando portavit ipſum in Virgineo ſinu ſuo? Et ſicut Manna & Tabulæ legis figuræ erant JESU Chriſti, ſic Arca antiqui Teſtamenti, quæ illa includebat, figura erat Sanctiſſimæ Virginis. Sed quare DEUS tam expreſsè mandavit illam fieri ex ligno incorruptibili, niſi ad ſignificandum incorruptibilitatem Corporis Sanctiſſimæ Virginis? ipſa igitur

...mus textus Scripturæ probans Reſurrectionem Sanctiſſimæ Virginis.

igitur eſt, de quâ loqui intendit Sacra Scriptura in hoc textu includente duas reſurrectiones, illam JESV Chriſti, & alteram Sanctiſſimæ Matris ipſius: Tu & Arca Sanctificationis tuæ. Et ſic intelligunt illum cum Sancto Damaſceno plures alij, qui hoc Scripturæ teſtimonium allegant ad probandum Reſurrectionem Sanctiſſimæ Virginis.

*S. Damaſcen.*

*Secundus textus probans Reſurrectionem ejus.*

*Pſalm. 120.*

Quid ulteriùs vult dicere Scriptura, quando dirigit hanc orationem ad DEVM pſalmo 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum.* Ipſa poſtulat à DEO, ut magnâ curâ cuſtodire velit introitum ſuum in mundum, & exitum ſuum è mundo: hæc enim duo periculoſiſſima ſunt itinera; unum ad introitum, alterum ad exitum; duo laquei hi ſunt nobis poſiti, quóſque evitare non poſſumus. Ad noſtrum introitum in mundum peccatum originale nos exſpectat, ad noſtrum exitum è mundo exſpectat nos mors; peccatum facit perire animam, & mors perire facit noſtra corpora. Ecce infelicem ſortem omnium filiorum Adæ, initium ipſorum & finem, introitum ipſorum in mundum, & exitum ipſorum è mundo, qui ambo ſummè ſunt deplorandi!

Sed admirabile omninò privilegium eſt pro Sanctiſſimâ Matre DEI, quamvìs ipſa vera ſit Adæ Filia, nec introitus ipſius in mundum, nec exitus ipſius è mundo habuerunt quidquam funeſti. In introitu in mundum peccatum originale non ſauciavit animam ipſius, & in exitu è mundo non corrupit nec deſtruxit mors Corpus ipſius; Ipſa ſemper fuit innocens & Sancta in ſuâ Conceptione, & in ſuâ Nativitate; ſemper integra, & incorruptibilis in ſuâ morte & in ſuo ſepulchro. Sic duo termini vitæ ipſius, initium & finis, ſua ſinguli habent privilegia, & hæc privilegia ſunt inſeparabilia. Ubi peccatum ſemel habuit introitum, trahit poſt ſe mortem & corruptionem, ſed ubi peccatum acceſſum nunquam habuit, mors etiam nullam nocendi habet poteſtatem. Cùm ergò tam certi ſimus, quòd Sanctiſſima Virgo nunquam fuerit ſauciata à peccato originali, cur certi etiam non ſimus, Virgineum ipſius corpus violatum & deſtructum non eſſe à morte? Eccur credamus conceſſiſſe DEVM ipſi privilegium primum, quod majus eſt, citra quòd conceſſerit ipſi quoque alterum, quod longè eſt minus, quódque nonniſi illius eſt conſequentia? Eccur cuſtodierit ſolummodò ipſius introitum, & non cuſtodierit ipſius exitum è mundo? Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum.

*Introitus in mundum, & exitus è mundo: In uno triumphat de peccato; in altero in morte.*

Vis ſemel adhuc percipere Scripturam, quâ ratione annuntiet Reſurrectionem ejus, audi, quomodò loquatur in capite tertio Canticorum in perſonâ, Domini noſtri, qui

*Tertius textus probans, ipſius Corpus eſſe incorruptibile.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qui converſus ad Sanctiſſimam Matrem ſuam, ſuaviſſimis his ipſam alloquitur verbis: *Veni in hortum meum Soror, Sponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus*: Eccur invitat ipſam in hortum ſuum, non ut colligat flores, aut comedat fructus, ſed nonniſi de myrrhâ ipſi loquitur, & unguentis aromaticis? Hem quis neſcit, quòd idonea hæc ſint & aptiſſima ad condiendum corpora mortua, & reddendum illa incorruptibilia?

Cant. 5.

Vult igitur ipſi dicere: Vide, quòd elegerim mihi hortum in loco Gethſemani, in valle Joſaphat, inter montem Sion & montem olivarum, ubi commorari volui tempore vitæ meæ; hìc elegi quoque habitationem poſt mortem meam, hìc meum habere volui ſepulchrum; hic ſimiliter inveni incorruptibilitatem per myrrham repræſentatam; hìc poſt tres dies ſepulturæ inveni reſurrectionem ad vitam immortalem, inſinuatam per aromata, & boni odoris ſuffimenta in altum aſcendentia: *Veni in hortum meum*: Veni Mater mea, ſepulchrum tuum ſit meo proximum, participem te faciam myrrhæ meæ & aromatum meorum, invenies ibi ſicut ego incorruptibilitatem, reſurrectionem & immortalitatem: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Oportebat imitari ipſam Unigenitum Filium ſuum in vitâ ſuâ, in morte ſuâ, in ſepulturâ ſuâ, & in Reſurrectione ſuâ.

Audîſtis ſatis canoram Sacrarum Scripturarum tubam, quæ annuntiat Virginis Sanctiſſimæ Reſurrectionem; accommodemus modò aures illi Sanctorum Patrum.

* *
*

## §. III.

## *Tertia tuba, quæ ubivis deprædicat Reſurrectionem Sanctiſſimæ Virginis, ſunt Sancti Patres.*

HÆC clariori tono & voce magis intelligibili reſonans, manifeſtat nobis incorruptibilitatem Corporis Sanctiſſimæ Virginis in monumento ſuo, Reſurrectionem & immortalitatem ipſius. Sanctus Auguſtinus, qui in omnibus eſt primus & ſublimiſſimus Doctor Eccleſiæ, aſſerit credendum nobis eſſe, quòd JESUS Chriſtus, qui in vitâ ſuâ tanto honore affecit Corpus Sanctiſſimæ Matris ſuæ, ut reaſſumere voluerit partem Carnis ipſius, & ex eâ formare ſibi ipſi Corpus, non reliquerit Virgineum hoc Corpus ultimo naturæ humanæ oppreſſum opprobrio, quod corruptio eſt & putredo; quòd cùm vitam ſuam humanam hauſerit ex ſinu ipſius, & puriſſimorum uberum ipſius ſuxerit lac, non permiſerit ipſum fieri pabulum & eſcam

Auguſti- … ſerm. … Aſſum- … pro- … Sanctiſ- … Vir- ginem Re- ſurrexiſſe.

eſcam vermium: Potuit enimverò, inquit, tam bene cuſtodire ipſius corpus à putredine mortis, uti cuſtodivit animam ipſius à putredine peccati; potuit utrumque, quia eſt omnipotens: Si dubitare non poſſumus, quin potuerit, dubitare etiam non debemus, quin voluerit; eòquòd is infinitá ratione ſit bonus, & illam ſolam magis amet, quàm cæteras omnes creaturas. Verùm ſi pari ratione certum eſt, quod & potuerit, & voluerit, quid dubitationis movere poſſumus, quin verè & reipsâ id præſtiterit? Scriptum eſt enim:
Pſal. 134. *Omnia quæcúnque voluit, fecit.*

Probationes efficaces, quibus oſtenditur incorruptibilitas Corporis Sanctiſſimæ Virginis

Adjungit hæc verba, quæ digna ſunt pietate & ſummâ eruditione ipſius: Si Deus conſervare voluit non ſolùm corpora trium puerorum in fornace Babylonicâ, ſed etiam ipſorum veſtimenta in medio ignis tam ſuccenſi, támque ardentis, ut omnes eos, qui vel paululùm appropinquabant, conſumpſerit; Eecur credatur magìs habuiſſe cordi ſervorum ſuorum veſtimenta, quàm proprium Corpus Sanctiſſimæ Matris ſuæ? Si conſervare voluit in vitâ Jonam inobedientem in ventre ceti, qui more ſuccenſæ fornacis exæſtuans, ipſum illicò debuiſſet conſumere; cur dubitetur, quin conſervaverit à corruptione mortis Corpus propriæ Matris ſuæ, tam obedientis, támque innocentis? Itáne Daniel conſervatus fuerit à dentibus famelicorum Leonum, quin devoraverint ipſum; & Mater Dei conſignata fuerit dentibus mortis, ut comminueret & in pulverem redigeret ipſam? Itáne credamus, quòd conſervaverit ipſius animam ab omni genere peccati, eòquòd futura eſſet Mater Dei; & non credamus, quòd ipſius corpus ab omni genere corruptionis, poſtquam jam extiterat Dei Mater?

Eccur non ponderas, ipſam officium Matris Dei exercuiſſe magìs ſecundùm Corpus ſuum, quàm ſecundùm animam ſuam, eòquòd ſacrum ipſius Corpus ſuppeditaverit Corpus Filio Dei, ipſius autem anima animam non ſuppeditaverit ipſi? Quis ergò diffitebitur, quin pretioſum hoc Corpus, quod veſtijt Deum ſuum ſubſtantiâ humanâ, quod nutrijt ipſum lacte uberum ſuorum, quod reddidit ipſi tanta alia obſequia, meruerit, ut non eſſet pabulum & eſca vermium? Oportebat, ut in remunerationem veſtimenti mortalis, quo induerat illum, ipſa veſtiretur immortalitate glorioſâ; quis enim credere poſſet, Corpus hoc Virgineum, Angelorum reverentiâ digniſſimum, relictum eſſe in terrâ, & conſignatum fuiſſe monumento, ut ibi putreſieret & devoraretur à vermibus? Sanctus Auguſtinus fatetur, indignam hanc cogitationem ſibi parere horrorem, nec audere ſe id dicere: *Illud ſacratiſſimum Corpus, de quo Chriſtus Carnem aſſumpſit.*

S. Auguſtin. ſerm. de Aſſumptione tom 9. c. 2.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſumpſit, eſcam vermibus traditam, conſentire non valeo, dicere pertimeſco.* Sic ſanctiſſimus Doctor loquitur magnâ cum reverentiâ de Corpore Sanctiſſimæ Virginis.

An opus eſt adhuc aliâ tubâ, ut concordet cum hâc, & clariùs adhuc annuntiet hanc veritatem? Audite Nicephorum: Hic citat Juvenalem Epiſcopum Jeroſolymitanum, dicentem, ſe accepiſſe ex antiquiſſimâ traditione, quòd per tres dies, quibus Corpus ſanctiſſimæ Virginis quievit in ſuo monumento, Apoſtoli ſemper permanſerint ibi, cantantes hymnos, & audientes cum reverentiâ harmoniam cœleſtem, quam modulabantur Angeli ad idem hoc monumentum; cum autem poſt tres dies non ampliùs perciperent illam, crediderint, pretioſum hoc depoſitum eſſe ſublatum: apperuerunt igitur monumentum, & non invenerunt ampliùs ipſius corpus, ſed ſolùm linteamina, quibus involutum erat, uti acciderat ad monumentum Salvatoris noſtri: Hinc toti abrepti gaudio, reddiderunt grates Deo, evibrârunt in cœlos ſua poſt ipſam vota ac deſideria, & reverſi ſunt ad loca Miſſionum ſuarum, ad evulgandum hæc portenta in universâ terrâ.

Niceph. lib. Eccleſ. c. 13.

Quomodo Apoſtoli certi fuerint de Reſurrectione Sanctiſſimæ Virginis.

Conſule Sophronium ſermone de Aſſumptione Sanctiſſimæ Virginis,, ubi fusè loquitur de Reſurrectione ipſius. Conſule Sanctum Joannem Damaſcenum in ſermone de Dormitione Virginis. Conſule Sanctum Athanaſium, cujus magna eſt auctoritas in totâ Eccleſiâ. Audi ferè omnes Sanctos Patres, qui hâc ſuper re eâdem ratione loquuntur. Sed an opus ſit teſtimoniorum umbrâ ad afferendam lucem veritati, quæ hodie velut ſol refulget in universâ Eccleſiâ? Audienda eſt igitur tuba quarta, quæ eſt illa rationis.

## §. IV.

## *Quarta tuba, quæ cunctis mortalibus annuntiat Reſurrectionem Sanctiſſimæ Virginis, eſt ratio.*

Sanctiſſima Virgo ſemper exempta fuit à lege communi cæterorum filiorum Adam.

QUæ ratio credendi eſſet, admirabilem hanc Matrem privilegiatam non fuiſſe in morte ſuâ, ſicut fuerat in ſuâ Nativitate, in Conceptione Unigeniti Filij ſui, in partu ejusdem Filij, & in tot alijs rebus, in quibus videmus, ipſam ſubjectam non fuiſſe legi communi totius naturæ humanæ, ſed ſemper exemptam ex privilegio dignitati Matris Dei conſentaneo?

Lex communis requirit, ut omnes naſcamur filij iræ, id eſt, omnes involvamur velut complices criminis primi noſtri parentis; ſed privilegium Matris Dei eſt, ut ingrediatur mundum à primo momento Conceptionis ſuæ cum per-

fectâ quâdam innocentiâ, & nulla peccati macula ſit in illà: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.*

Cant. 4. v. 7.

Lex communis eſt, ut omnes mulieres deſinant eſſe Virgines, quando ſunt Matres; ſed privilegium ſingulare Matris Dei eſt, eſſe Virginem Matrem ſtupendo quodam prodigio, quod poſſibile non eſt, niſi Omnipotentiæ Dei. Lex communis condemnat omnes Matres, ut magno cum dolore ſuos pariant filios: *In dolore paries filios tuos*: Sed privilegium ſpeciale Matris Dei eſt, peperiſſe Filium ſuum Unigenitum abſque ullo dolore corporali, ſicut illum conceperat abſque ullâ ſenſibili voluptate.

Gen. 3. v. 16.

Tandem Lex communis, quæ condemnat omnes filios Adæ ad mortem, exigit ipſos omnes reduci in cinerem: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sed quæ veriſimilitudo, quòd in puncto hoc unico Sanctiſſima Virgo nullo potita fuerit privilegio? Itáne obligata fuerit ſubire rigorem legis cæterorum filiorum Adæ, quæ particeps non fuerat ullius ex omnibus peccatis ipſorum? Itáne ipſa illorum involvatur ſupplicio, quæ in alijs omnibus gaudet privilegijs, quibus eximitur à cunctis communibus naturæ legibus? Itáne credatur, ipſam nonniſi in hoc ſolo adjudicatam fuiſſe legi communi omnium peccatorum, quorum corpora putreſiunt & corroduntur à vermibus in monumentis ſuis. Ubi eſt animus vel levi religionis, aut reverentiæ erga Sanctiſſimam Virginem ſenſu imbutus, cui horrorem non pariat hæc cogitatio, quique non dicat cum Sancto Auguſtino: *Sentire non valeo, dicere pertimeſco.*

Gen. 3. v. 19.

Verùm afferam hìc ſecundam quandam rationem, quæ mihi videtur adhuc efficacior; pondera illam bene. Si corpus Sanctiſſimæ Virginis non permanſiſſet incorruptibile, ſi non reſurrexiſſet, ſi tranſlatum non fuiſſet in cœlum, neceſſariò aſſerendum foret, Filium Dei, qui condidit legem de honorandis parentibus, Patre & Matre, quiq; tam perfectè ſemper illam obſervavit, parùm obſervâſſe illam reſpectu Sanctiſſimæ Matris ſuæ, multóque minorem Matris ſuæ Corpori reddidiſſe honorem, quàm reddat corporibus ſervorum ſuorum, quæ velut pretioſa lipſana honorantur in terris, quæ cultui exponuntur in Altaribus, quæ circumducuntur auro & gemmis pretioſis, ad quæ populi, principes, presbyteri, omnes Chriſtiani catervatim confluunt ad reverendum illa? ſed nihil ejuſmodi videmus, quoad corpus Sanctiſſimæ Virginis; quo enim in loco mundi aſſervatur? quò conceditur peregrinatum ad videndum & honorandum illud? Ubi eſt pretioſa Lipſanotheca, quâ includitur? ubi ſunt lampades aureæ & argenteæ ante ſacrum hoc Corpus, dies noctéſque accenſæ? de

Corpus Sanctiſſimæ Virginis non honoratur in aliquo terræ loco, ergò debet eſſe in cœlis.

de h's omnibus non ſit ſermo in ullo orbis totius loco.

Itáne ergò id ſolum ex omnibus corporibus Sanctorum permanebit ita incognitum, contemptum & omnis expers in mundo honoris? an feriatur illud horrendo hoc anathemate, quo percuſſit olim impios Deus? *Reliquiæ impiorum interibunt.* Abſit talem unquam in cordibus noſtris fovere blaſphemiam. Non, Sanctiſſimum Virginis corpus non eſt in terris, terra digna non eſt poſſidere illud; eſt in cœlo, quòd ſolum eſt dignum, ut ſit templum gloriæ ipſius; non habent mortales pretioſas ipſius Reliquias in terris, deeſt facultas illis debito honore eas proſequendi, nonniſi Angelorum in cœlo eſt ipſas dignè revereri.

Pſalm. 36. v. 38.

O amantiſſime Deus! amabiliſſime JESU! cùm dixeris in Evangelio tuo: *volo, ut ubi ego ſum, illic ſit & miniſter meus*: Quis unquam magìs miniſter tuus fuit, quàm corpus Virgineum Sanctiſſimæ Matris tuæ? Illud te genuit ex propriâ ſubſtantiâ ſuâ: Illud beatiùs in hoc, quàm cœlum Empyreum, portavit te novem menſibus in caſtis viſceribus ſuis, ſucceſſivè ſemper effingendo te; Illud nutrivit te uberum ſuorum lacte, replens venas tuas pretioſo ſanguine, quo miſeros redemiſti peccatores; illud impendit tibi tempore infantiæ tuæ omnem curam, & cuncta obſequia, quæ fidelis Mater impendit filio ſuo; illud toties portavit te in brachijs ſuis; tu non ambulabas, niſi per pedes ipſius, non operabaris niſi per manus ipſius, non loquebaris etiam niſi per os ipſius; illud denique tibi reddidit omnia neceſſaria ſervitia in totâ vitâ tuâ mortali.

Joan. 12.

Si JESUS Christus voluit eſſe ſervum ſuum, ubi ipſe eſt, quantò magis Matrem

O Rex Regum? O Supreme mundi Monarcha! Video Reges terræ ingentem habere ſervorum numerum, & jam ab unguiculis ipſis dari miniſtros quàm plurimos, aulámque parvorum horum principum jam eſſe permagnam & admodùm frequentem; ſed tu non habebas pro famulitio tuo niſi ſanctiſſimam Matrem tuam, ipſa ſola & Sanctus Joſeph, quem comitem habebat, conſtituebant totam aulam tuam; ſed zelus ipſius proſpiciebat de omnibus, ipſa ſola tanti tibi erat, quanti centies milleni alij, ad exhibendum tibi ardentiſſimo cum amore omnia ſervitia, quæ cæteræ omnes creaturæ ſimul exhibere tibi potuiſſent. O fidelem! O digniſſimum! O incomparabilem Miniſtrum!

Dic ergò illic Domine: *Ut ubi ego ſum, illic ſit & Miniſter meus.* Loquere Corpori amab lis hujus Matris, tam bene, quàm Animæ ipſius; Eóquòd illud ſit, quòd magìs viſibil a, magìs luculenta tibi exhibuit ſervitia. Loquere illi de cœlo, & dic ipſi: Veni Miniſter mi, ſequere me in cœlum, ſicut ſequebaris me in terris; volo, ut ubi

Magnus Miniſter JESU Chriſti per Excellentiam erat Corpus Sanctiſſimæ ipſius Matris.

ego ſum, illic ſit & Miniſter meus; nihil magìs æquum, nec magìs congruum eſt bonitati talis Domini, & fidelitati ejusmodi miniſtri. Et ſanè, cùm hæc gratia conceſſa ſit pluribus Sanctis, eſſe corpore & animâ in cœlis, uti ſunt illi, qui reſurrexerunt eo tempore, quo JESUS Chriſtus moriebatur in Cruce, ita referente Sancto Evangelio, quo privilegio (ſicut creditur) etiam Sanctus Joſeph fruitur; quantò magìs credibile eſt, Sanctiſſimam Virginem poſt obitum ſuum illo potitam eſſe? Nihil magìs conforme eſt amori talis Filij, nil magìs conveniens talis Matris dignitati. ita eſt, ipſa ſecuta eſt illum Corpore & Animâ in cœlum; Non ampliùs quærenda eſt nobis in terris, nec deinceps loquendum de illâ velut in terris exiſtente; ſequamur ergò ipſam in cœlum. Sic reſiduæ omnes Conſultationes non erunt, niſi de ipſius Aſſumptione, de gloriâ ipſius Animæ, ipſiúsque Corporis, de ipſius Coronis, & de ſupremâ, quàm exercet in Cælo Empyreo, poteſtate.

* *
*

# Consultatio XXVII.

## *Pondus Ignis, ubi agitur de myſterio Aſſumptionis Sanctiſſimæ Virginis.*

NUnquam non audivi Eccleſiam, quæ gubernatur à directione Spiritûs Sancti, ita bene accommodâſſe Evangelia omnibus Feſtis, quæ per anni totius decurſum celebrantur, ut nihil ſit convenientius. Nihilóminus cùm in præcipuâ Feſtivitate Sanctiſſimæ Virginis, quæ eſt ipſius Aſſumptionis, aſſiſterem nuper ſacrificio Miſſæ, cantari Evangelium audivi, quòd nec verbô ipſius mentionem facit, quódque judicio meo, nihil habet conformitatis cum myſterio, quòd die illo celebratur.

Deſumptum id eſt ex decimo Capite Evangelij Sancti Lucæ, ubi is recenſet hiſtoriam Viſitationis, quâ JESUS Chriſtus honoravit Mattham & Magdalenam in ipſarum Caſtello in Bethaniâ. Tenor illius hic erat: *In illo tempore intravit in quoddam Caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam; Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius: Martha autem ſatagebat circa frequens miniſte-*

Cur Eccleſia ponat hoc Evangeliū in Feſto Aſſumptionis, cum nihil de Feſto loquatur.

Luc. 10.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN